



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Clara V. 12. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

etsi Imperatrix, & in eâ tot gemmas, quot guttas portabat. Ex Surio.

O anima, quæ in te Christum habes, attende tibi, tibi ipsi vaca: immortalis est Christus sponsus tuus; cave eum dejeras, ne ab eo derelicta diligas inimicum tuum ab omni justitia pulchritudine remotissimum S. Ephrem de exercitat.

S. CLARA V. 12. Augusti

FRancisci illustris partus vergo CLARA est, mater eadem omnium virginum, quæ Francisci institutû æmulantur, jam antè parenti suæ, quam nasceretur, à Christo è cruce laudata. Ergo unicùm sexûs sui miraculum ea facere molles virgunculas docuit, quæ multi in viris miramur, pauci imitamur. Asperrimam vitæ rationem, atque ultimam, quam in ordinem suum invenit, paupertatem cordi DEO esse vel tunc probavit, quando abundare in vacuo etiam vase oleum fecit, & dimidium panem quinquaginta omnino virginibus sufficere. Neque erravero, puto, si Moyfi etiam feminam æquiparavero. Certè obfidione gravi cùm Assisium cingeretur, precibus ante Eucharisticum epulum CLARA depugnans omnes in fugam hostes egit, certiorque de victoria ab ipsomet sponso Christo est facta. Ab hoc aliàs nunc ad nascentis cunas, nunc ad patientis tormenta spectanda cùm evocata esset, Crucis deinceps signo ita usa est, ut contra morbos Alexiteriorum, contra orci minas Panopliæ vicem esset. Iam moriens uti è terris cum purpurato senatu summum Pont. ita è cælis cum candido virginum agmine virginum Reginam, & cum hoc summum Numen ad se pertraxit; itaque in cælo

fuit, antequàm fuit. *Ex Surio.*

Sanguine Agni servatur domus à percussione Angelis: & aqua maris rubri extinguuntur inimici, quæ sunt mysteria Christi. Hieron. super Luc.

S. CASSIANVS EP. ET MART.
13. Augusti.

Plachiùs longè CASSIANVS post Pontificatum, quem apud Brixentas gesserat, quàm post Regnum olim Dionysius, ludum in foro Cornelii exul aperuit, non ignarus has demum illas esse raras tabulas, è quibus nec senectus mores expungat, quos olim infantia inscripsit. Sed heu! quoties iuventus indignum tuis Doctoribus Minerval ingrata persolvit? Rapitur ecce ad iudices CASSIANVS, & impietatis in Deos damnatus pueris traditur excarnificandus. Nulla mora. Convolant velut ad ferias literarias pessimè feriat, & ad pœnas magistrum nudum discipuli vocant. Pars tabulas capiti illidunt franguntque, pars graphiis, nunc punctim, nunc verso stylo cæsim invadunt, vulnera identidem convitiis interpolantes. Alii nunc demum sibi literatum videri præceptorem clamare; alii rogare, num rubrica hæc plâceret? num amplius satis latusque stylus esset? sâne acutum foret epigramma, quod exararent? Alii denique hortari se mutud, ne otiosi essent; hoc præceptoris semper unicum præceptum fuisse, nunquam stylum ponere, semper aliquid scriptitare. Et fortè unus è turbâ aliquis: Ingrati non erimus CASSIANE magister, multas fateor tibi debemus, sed, hem! quas accepimus omnes reddimus, & cum fœnore, plagas. Querebat interea per mille vulnera exitum ingens anima, nec reperiebat.

R 5

periebat